

CAPUT II.

Demonstratur in genere instrumentum Notarii Villinck, circa depositiones extraordinarias duarum velatarum & Laicarum variis ex capitibus esse illegitimum: item incaute ac imprudenter egisse Schediasmatis hæc omnia continentis Promulgatorem.

§. I.

Instrumentum Notarii & depositiones extraordinaria variis ex capitibus illegitima sunt.

I. Extraordinarie sunt depositiones, quia post spontaneam traditionem Monasterii, & quietam ejus possessionem PP. Soc. prius post 25 annos 4 Moniales testimonia dederunt de rebus tum sibi ignotis, tum falsis.

Tam ante sesqui annum, dum primò Schediasma istud vidi, non sine causa judicabam cum multis in Ecclesiastica & sæculari dignitate constitutis viris gravibus ac doctis refutatione dignum non esse; & miratus summoperè sum ejusmodi agendi modum. *Certè conveniunt rebus nomina sæpè suis.* Hinc benè depositiones illæ vocantur extraordinariæ, nam

1. Revera extraordinarium quid est, quod, postquam omnes & singulæ Moniales ob desidia & æs alienum, quo laborabant, à Pontifice dissolutionem ac venditionem Monasterii supplices petierant, ut Pontifex, utique palmaris mendacii coram Orbe toto non arguendus, disertis ac claris verbis enuntiat;

(V.

(V. Bull. C. 5. Lit. A.) & coram RR. Commissariis S. Sedis in venditionem iteratâ vice adstipulatâ manu consenserant, subscripserant, & 15 Septembris 1582. permiserant numeratâ præviè pecuniâ in sua & tot RR. DD. præsentia possessionem à Patribus S. J. capi coram Notario & testibus, & omnibus rebus & reculis inter se divisis 17 Septembris, extraditis ante clavibus, omnes spontè egressæ erant (V. C. 1. n. 4.) & jam per totos 25 annos in alienis Monasteriis dispersæ habitaverant: Quòd, inquam, post hæc omnia duæ ex iis velatæ & duæ laicæ tandem anno 1607. in unum locum, quasi in Concilium, à F. Gisberto Priore coactæ testimonia dederint tum de rebus, bonis istis vetulis, ignotis; tum falsissimis & calumniosis in supremo gradu. Prout Cap. 3. ubi ad singula puncta respondebo, affatim demonstrabitur.

Extraordinariæ sunt depositiones, quia tanto molimine nihil probant. Quid enim, obsecro! fidei & autoritatis habere possunt duarum velatarum & duarum laicarum sororum coram rectore ac fabro testimonia contra disertæ verba Bullæ Gregorii XIII. contra literas vel libellum supplicem à Magistra & Sub-Magistra, & omnibus ac singulis etiam his quatuor miseris deponentibus monialibus subscriptum, & ad

II.

Extraordinariæ sunt depositiones 4 Monialium testimonia quia contra præviam earum, & propriam omnium monialium confessionem, relationem RR.

DD. Com-
missario-
rum, Bullas
Pontificias,
&c. directè
pugnant.

Pontificem missum? Quid contra at-
testata vitorum illorum insignium omni-
que exceptione majorum, quibus cau-
sæ cognitio in partibus à Pontifice de-
mandata est, scilicet Gropperi Metro-
politanae Ecclesiae Canonici, & Perillu-
stris ad S. Gereonem, Ecclesiae Schola-
stici, ac Conradi Wippermann, SS.
Theologiae Doctoris Collegiatae ad S.
Severinum Decani, & Praepositi Sufa-
rentis? Qui inter primarii Cleri hujatis
proceres tunc conspicui officiis, gradu,
scientia, dignitate, &c. intentioni Pon-
tificiae consilium, fidam manum ac ope-
ram commendarunt, totius rei gestae
seriem ordinemque fideliter Pontifici
& Ordinario retulerunt, amplissimum-
que Magistratum, æmulorum, ut sæpè
fit, sinistris rumoribus occupatum, in
suam aut veriùs Romani Antistitis sen-
tentiam flexerunt ac docuerunt: quâ
fide, integritate ac sinceritate à PP. So-
ciet. coram se Commissariis, aliisque
testibus, non fabro aliquo aut tectore,
sed Reverendissimis Sigillifero Majore
ac Minore, item Notario contractus
cum Monialibus initus, ac executioni
datus sit. Si contra hæc omnia quid-
quam valeant, aut fidem mereantur de-
positiones duarum velatarum, & 2 lai-
carum sororum 25 annis ex post factæ,
nulla parte adversa cirata, & post cen-
tum quinquaginta omninò annos priùs
luci

luci publicæ exposita : jam facilè cuique erit omnia susque deque vertere, & post tot intervallum sive tectorem, sive sutorem adhibere in testem, scommata, calumnias, falsitates deponere, poteritque semper Notarius aliquis testari, quòd talia coram se dici audierit. Atque tunc enim verò gloriosus in arena digladiator erit, qui post sesqui sæculum talia oracula priùs luci publicæ exponat.

Extraordinariæ sunt depositiones, quia illegale est instrumentum. An non Notarius Coloniensis scire debebat, quis modus à Maximiliano Cæsare præscriptus sit, & quidem Coloniæ in recessibus Imperii anno 1512. Titulo: *Der Römischer Kayserslicher Majestat Ordnung zu Unterrichtung der offnen Notarien / wie die dero Aempter üben sollen.* Ubi inter cætera hæc habentur §. 3. quòd invocato nomine Domini annus à Nativitate Christi, indictio, nomen Cæsaris, mensis, dies, hora, locus, ac domus, & certa hujus pars aut cubiculum, item insigne Notarii apponi debeant. Jam autem præter varia à Cæsare requisita neglecta maximè notandum, quòd nec signetur locus in instrumento harum depositionum (qui vel eò magis signanter notari debebat, quod à tot jam annis Moniales dispersæ in diversis habitarent locis) nec sigillum

III. Extraordinariæ sunt depositiones & nihil probantes, quia instrumentum Notarii multis ex capitibus defectuosum est.

NB. Notariatûs apponatur. Deinde in quo idiomate hæc depositiones factæ? Præsumitur, Moniales nec ratione sui, nec ratione testium rectoris & fabri latinè locutas fuisse. Cur ergò vel Notarius ad majorem fidem sibi conciliandam, quòd nil ambigui, æquivoci, aut alieni à sensu Monialium Germanicè deponentium latinè reddiderit (quod coram testibus talibus ac rector & faber ferrarius esse solent, facilè fieri potuisset) cur, inquam, vel Notarius Villinck instrumentum suum in lingua, qua locutas esse Moniales meritò præsumitur, non confecit? (Quòd id necessarium fuisset ob varios obscuros sensus, patebit infra in responsionibus ad depositiones, v. gr. 7. & 13.) vel si instrumentum in lingua vernacula prostat; cur Notarius alius non testatur, quòd copia latino idiomate promulgata concordet cum originali germanico? Item cur non testatur Notarius Rheindorff, quòd nota sibi manus sit, v. gr. ex aliis instrumentis aut scriptis Notarii Villinck? Demum cur mi bone vir Ananyme promulgator, cum non conveneris nos coram competente iudice, sed aliàs minatus sis fraudes te, modumque agendi Jesuitarum per urbem & regiones aditas propalaturum: cur, inquam, copiam hujus germanici originalis germanicam quoque non dedisti prælo?

prælo? Sic enim adhuc faciliùs ac commodiùs voti tui compos factus esses; fraudésque, si Superis placet, Jesuitarum in plenam etiam lipparum, imò & lotricum notitiam pervenissent.

Ad hæc qualis est ista forma legitimi alicujus instrumenti notarialis? Tredicim depositionibus subscribit Notarius Villinck, anno 1607, 13 Augusti, sine appresso Notariali Sigillo. Subjungitur **NOTA**, cui subscribit F. Gisbertus, Prior, sine die & consule. Post hæc Notarius Rheindorff testatur, concordanti am cum suo originali, non tamen testatur notam sibi esse manum ullius. An in instrumento legitimo plenè confecto, & à Notario subscripto permittitur, ut privatus suum subjiciat **NOTA**? Et quidem, ut capite 4. videbimus, tam injuriosum ac falsum ex pluribus causis. An ad authoritatem aut fidem tali notamini conciliandam servit, quòd novus Notarius testetur copiam illius concordare cum originali? Tali sanè viâ quilibet vir etiam integerrimus pro summo fure & latrone proclamari poterit. Illegitimum igitur est instrumentum totum cum suis dispositionibus & subjecto notamine tot ex capitibus claudicans. Sed & incautè admodum ac imprudenter egit Schediasmatis hujus promulgator: hoc alterum capituli hujus membrum.



§. 2.

*Incautè ac imprudenter admodum egit
Promulgator harum depositionum eas
typis vulgando, & sive per se, sive
per alios distribuendo.*

Videbis, Vir bone! quàm benignè
tecum agam, dicendo quòd ad-
modum incautè ac imprudenter ege-
ris. Sequentia puncta instruent te
abundè: quòd aliorum titulorum, &
quidem multò pejorum te reum feceris.
Nam


1.
Modus
talis pugnat
contra fa-
nam Theo-
logiam &
principia
D. Thomæ.

1. Quid Theologi omnes, quid D.
Thomas eorum Princeps 2. 2. q. 73. de
detractioe sive alienæ famæ per verba
denigratione docet? l. c. ar. 1. explicat,
quantum ea crimen sit, ibid. ad 1. &
ar. 2. in corp. accuratè distinguit: quan-
do alieni peccati revelatio non sit de-
tractio; nempe si verba, per quæ fa-
ma alterius minuitur, proferat aliquis
*propter aliquod bonum vel necessarium
debitis NB. circumstantiis observatis.*
Item si revelet quis peccatum occultum
alicujus propter ejus emendationem NB.
*denuntiando, vel propter bonum justitia
publica accusando.* Hæc tria principia D.
Thom. te docent, mi Promulgator
Anonyme! quòd, si tot fraudes in-
tercesserint, tam atrox delictum circa
occupationem Monasterii S. Achatii antè
annos

annos 150. à Jesuitis patratum sit; quòd, inquam, cùm id usque huc notorietati facti, aut judicis publicum non fuerit, vel poposcerit lex charitatis Christianæ, ut perpetuo id silentio sepeliretur; vel si emendationem ejusmodi hominum intenderis, id denuntiare; vel si bonum justitiæ publicæ, ejus homines istos accusare, vel si bonum aut necessarium proprium sive restitutionem juris læsi S. Ord. FF. Prædicatorum intenderis, iis diem dicere debueris, sed hæc omnia præstare apud eos solos, & quidem *debitis circumstantiis observatis*; qui emendandi puniendi, vindicandi jus læsum alterius à Deo ac legitima potestate auctoritatem habent. Servanturne *circumstantiæ debite*? Quæriturne purè bonum eorum, quorum fama denigratur; quæriturne bonum publicum ut scelera plestantur, vel an etiam bonum & jus tertii, quod putatur læsum, per hoc recuperatur, quòd depositiones aliquæ, quæ depingunt fraudes ac violentiam, à Jesuitis adhibitam typo datæ distribuuntur per urbem ac viciniam doctos inter & indoctos cum exaggeratione ac strepitu; & forum seu iudex competens negligatur? Sanè Theologia talem agendi modum non approbat, nec genuinus Thomista.

2. Sana ratio, modus agendi inter viros politos, usque adedò Gentiles &

II.
Modus talis agendi hæ-pugnat con-



tra sanæ rationis dictamina ab hominibus politis in quacunq̃ religione vel secta observata, contra jus Canonicum & Civile.

hæreticos eum etiam vetant : & hinc Imperatorio is quoque jure , & sacris canonibus vetitus est. Superfedeo fatigare lectorem citandis ex jure civili & sacro legibus hac de re latis utpote plerisque fat notis ac perspectis. Apud Romanos Gentiles ejusmodi Promulgator inustum in fronte K. retulisset. Modernus Augustissimus non semel severis legibus sanxit , ut ne tali quidem modo, aut Catholici contra Lutheranos vel Calvinistas, aut hi contra illos agant, sed ab omnibus diffamatoriis calumniosis libellis aut scriptis quivis abstineat , jus suum prosequatur apud competentem judicem , secus Fiscus Imperii in quemcunque contravenientem agere debeat. Nec scio satis, an, si Religiosus contra Religiosum Ordinem diffamatoria etiam in una plagella chartæ divulget auctoritate propriâ , & forum competens prætereat, id ab Ecclesiastica potestate, & eorum præcipuè , quibus ex officio ad id vigiles habere oculos incumbit , impunè ferri ac tolerari possit. Hoc saltem scio , quòd talis agendi modus potiùs serviat livori exsaturando , qui tamen nunquam saturatur , diffamandis à se- qui sæculo quietis possessoribus (quorum fama, quò magis in spirituale bonum proximi necessaria est, eò quoque calumnia aut detractio gravior) exacerbandis animis, & scandalizandis fidelibus:

libus: omninò autem & quidem in supremo gradu ineptus sit prætenso juri aut fundo amisso recuperando. Nec quisunque demum religiosus aliter suadere posset pœnitenti Titio juxta sanam rationem Theologiæ, ac juris utriusque placita: quàm ut, si post 150 annos in Archivio suo diffamatoriam depositionem familiæ Sempronii, quòd ejus Majores hanc vel illam domum fraudibus ac vi majoribus Titii eriperint, & quidem non aliis testibus, quàm iis, qui antecederent contrarium subscripserant: quàm, ut inquam, maxime si instrumentum ipsum notariale multis ex capitibus defectuosum sit, non sequatur primum impetum, nec adoriatur Sempronium diffamatorio schediasmate ubivis promulgando, sed si prosequi suum qualecunque jus voluerit, id ad forum competens producat, aut viros solidè ac cautè procedentes consulat. Heu! quot fulminibus obrutum esset Collegium Soc. Colon. si Jesuitæ schediasma tale publico obrulissent.

Argumentum ad hominem.

Incautè igitur ac imprudenter egisti schediasmatis Promulgator, contra sanæ Theologiæ, Juris utriusque placita, & in primis principiis fundatum apud quosvis politos ac honestatis amantes, etiam veræ fidei lumine destitutos, ingenuum agendi modum; & quidem sine ullo

III.
Argumentum efficax aliud:
Cur depositiones illæ promulgari non debuerint?

ullo fructu, ac sperali viâ illius recupe-
 randi, quod sacro Ordini tuo ablatum
 quereris. Sed & incautè admodum ac
 imprudenter denuo: quia vel huic ei-
 dem Ordini, vel propriæ famæ tuæ la-
 bem modo isto agendi aspergis non mo-
 dicam. Vel enim ea, quæ vulgâsti, non
 judicabas vera esse, aut talia, quæ vi-
 ros doctos, prudentes, cordatos ad
 tibi assentiendum movere possent aut
 deberent: & sic mala egisti fide, taci-
 turnitasque opportunior fuisset, quàm
 doloris tui immedicabilis ac fœminea
 confessio, aut etiam se prodens nocen-
 di in tantùm ardor; ut, etiamsi modo
 isto agendi amissa recuperare non possis,
 saltem famam aliquam sinistram Jesui-
 tis apud hos aut illos affrices juxta pes-
 simum illud principium: *Ex omni ca-
 lumnia aliquid heret.* Vel judicâsti typo
 à te data, variisque sive à te, sive ab
 aliis liberaliter distributa esse talia, qui-
 bus viri docti, prudentes, cordati, &c.
 fidem meritò adhibere valeant & de-
 beant: & jam (cùm ne solus videaris
 sapere, consequenter sustinere debeas
 Majores ac Prædecessores tuos id etiam
 cum F. Gisberto Priore judicâsse) jam,
 inquam, sacrum ordinem tuum accusas,
 ignaviæ ac vecordiæ: quod à sæculo
 & ultrà destiterit à jure suo conspicuo
 prosequendo, talique se fundo mulcta-
 ti, utique contra Divina, humanaque
 privi-

privilegia sibi data passus sit. Cum ne-
 quidem intra decennium, etiam post
 depositum autoritate Apostolicæ Geb-
 hardum Archi-Episcopum Monasterium
 malè alienatum, aut vi ac fraudibus
 Jesuitarum ereptum revocaverint Præ-
 lati Ordinis; jamque à centum ferè,
 ac quinquaginta annis tacuerint. Quà
 negligentia siquidem culpabilis est
 (qualis est, si vera sunt quæ tu promul-
 gasti) pœnis gravissimis in jure dicta-
 tis obnoxios se fecissent. Nam pro ex-
 cusatione adferri non poterit, quòd
 hæreticus & Apostata Episcopus vio-
 lentâ manu restrinxerit manus Ordinis.
 At latius hoc Cap. 4. ad oculum
 demonstrabitur: ubi famosum illud
 NOTA F. Gisberti, Prioris, accuratè
 discutietur, & pro meritò
 castigabitur.

